

U796673/66

(19)

Q. D. B. V.

NUNDINARUM
MOENO-FRANCOFURTENSIIUM
HISTORIAM JURA ET PRIVILEGIA
P E R M I S S U

ILLUSTRIS JCTORUM ORDINIS
MODERAMEN GERENTE

D. TRAUGOTT THOMASIO
JUR. PRACT.

PLACIDÆ SUBMITTIT DISQUISITIONI
AUCTOR RESPONSURUS

JOH. BENJAMIN LEHNEMANN
MOENO · FRANCOFURTENSIS

LIPSIÆ d. XXVII. Mart. MDCCXXXVIII.

LITTERIS GABRIELIS TROGII.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

D. TRACOTT PUBLISHERS

CHICAGO, ILL. 1887



DISSERTATIONIS
DE
NUNDINARUM MOENO-FRAN-
COFURTENSIVM HISTORIA,
JURIBVS ET PRIVILEGIIS

CAP I.
DE
NUNDINIS IN GENERE.

§. I.



Uo plures in jure patriæ meæ ^{Intentio.} statutarîo enucleando illiusque differentias à Jure Romano ostendendo occupati fuerunt, (a) eo pauciores sunt, qui de *privilegiis* eiusdem Reipublicæ quædam notatu maximè digna tradidere. (b) Hinc ego, specimen studiorum academicum editurus, optimum factu esse judicavi, si *privilegii* cujusdam, quo patria

patria mea maximè superbit, historiam exponerem. Præ ceteris vero mihi arrisit argumentum de *nundinis Mæno - Francofurtensibus*, quod ita sum explicaturus, ut, præmissis de iure nundinarum in genere quibusdam thesibus, quæ præcipuè ad nundinas patriæ applicari possunt, brevissimis ostendam, qualia fata nundinæ istæ sub quolibet Imperatore habuerint.

(a) Præter ANONYMI cujusdam *Commentarium eruditissime conscriptum habemus SCHUZENII Jus Francofurtanum reformatum. Fr. 1643. TABORIS Specimen collationis Jur. Rom. & Francof. Gießæ 1666. EHRENFRIED KLOZII differentias Juris Civilis & Reformationis Francofurtensis. Fr. 1682. SCHACHERI differentias Juris communis & statutarii liberae S. R. J. Reip. Francof. ad Mæn. circa alienationes. Lipsiæ 1713. JOH. JACOBI LUCII Collat. Jur. statut. Francof. cum jure civili Romano Gießæ 1715. SCHNEIDERI Concil. Antinomiarum quarundam in jure statutar. Francof. Erford. 1721. PERSCHBECHERI diff. de jure mulierum Francof. secundum statutum patriæ. Altorff 1719. FRISII different. Jur. Comm. & statut. Francof. in materia de privilegi. ac priorit. credit. Jenæ 1721. BUTTNERI diff. de collat. Juris Civ. Rom. cum jure statut. Francof. circa success. conjugum. Erfordia 1723. KEMERICHII diff. de facultate alienandi & acquirendi bona immobilia jure Francof. restricta Jenæ 1732. SENCKENBERGII diff. de Testamento publici origine & solennitatibus externis secundum jus Romanum & patrium Francofurtense. Part. IV. Tit. 1. & 11. Göttingæ 1736. ALLEINZ de pacto partis debiti remissorio majoris partis creditorum secundum Jus ac consuetud. liberae Reip. Francof. ad Mænum. Gießæ 1736. aliosque, quos plena manu exhibet BIBLIO.*

BLIOTHECA LIPENIO-JENICHIANA, opus stupenda industria elaboratum.

- (b) Nemo mihi notus est præter Consultiss. D. KLUMPF. quidiss. inaug. An. 1730. *Altorsi habita exposuit privilegium Henrici VII. Regis de filiabus libere elocandis civitati patriæ concessum.*

§. II.

Nundinæ (c) dicuntur quasi novendinæ, à novendinarum & dies. Moris enim erat apud Romanos, ut octo diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die, intermisso rure, ad mercatus legesque accipiendas Romam venirent. (d) Hæ Romanorum nundinæ, ab initio *feriæ*; Jovi olim sacræ, erant, (e) lege HORTENSIA (f) vero postea cautum, ut nundinæ *fastæ* essent, quo rustici, qui nundinandi causa in urbem veniebant, lites coram Prætoribus componerent; (g) nefasto enim die Prætori fieri non licebat. Eodem die trinundino olim, propter frequentiam plebis, *leges* etiam promulgabantur, & *Candidati* in comitiis in colle consistebant, ut ab omnibus conspici possent. (h)

- (c) *Nundina* semper plurale dicitur GELLIO *lib. XIX. Cap. 8.* In glossis tamen veteribus etiam *nundina* occurrit. Licet in *singulari* numero potius *nundinum* dicendum esse probet VOSSIUS *de Arte Grammat. lib. III. p. 208.*

- (d) ROSINI *Antiq. Rom. lib. IV. Cap. 17.* ALEX. ab ALEXANDRO *Gen. dier. lib. III. Cap. II.* PLUTARCHUS *in vita Mar. Cariolan.*

- (e) vid. MACROBIUS *Saturn. lib. I. Cap. 19. p. 50. 51.*

CAP. I. DE NUNDINIS

DIONYSIUS HALICARNASS. *Antiq. Rom. lib. II p. 98. edit. Lips.* SCALIGER *Emend. temp. lib. 5. Cap. de Bissesto ab Augusto correcto. p. m. 459.* SELDENUS *in Jure nat. & gent. lib. III. Cap. 15.* COLUMELLA *in pref. ad l. 1. de rerustica.*

(f) HOTOMANNI *Antiq. Rom. sub legibus, voc. HORTENSIA.* ROSINI *Antiq. Rom. lib. VIII. Cap. 1.* HOFFMANN. *Hist. Jur. Rom. Vol. 1. lib. 1. Cap. 1. period. IV. p. 124.* STRUV. *hist. Jur. Rom. Cap. 1. § 42. p. 154.* ac PIUTEANUS *de nundinis Romanorum. Cap. XI.*

(g) NICOLAUS GRUCHIUS *de Comitibus Rom. lib. 1. Cap. VI in CLAUSINGII Jur. publ. Rom. Fascic. 1. p. 359. 361. sq.*

(h) teste VALERIO MAXIMO *Lib. VII. Cap. 5.* & MACROBIO *l. c.* & NICOLAO GRUCHIO *l. c. p. 242.* ROSINO *Lib. VI. Cap. XIII. Lib. VIII. Cap. 2.*

§. III.

Nomen Messe
unde?

Medio ævo nundinæ *missarum* nomine insigniebantur, quanquam non satis latinè. Variæ variorum de hujus denominationis ratione sunt sententiæ. Sunt, qui illam derivant à *missis Pontificiis*. Vetus nimirum temporibus, cum conversi fuerint majores nostri ad fidem, certis in locis, ob miracula, quæ credebantur, conventus festivos & peregrinationes religiosas fuisse institutas, neque tot, ut hodie, fuisse templa, sed longius habitantes coactos fuisse diebus dominicis aliquot miliaria ad paræciam ire. Eo se collocasse quoque aliquos pistorum, caupones, coquos, institores & opifices varios, ut advenientibus necessaria administrarent. Quam sen-

sententiam quoque tuetur *du FRESNE* (i), qui nundinas apud Germanos ideo *missarum* nomine insigniri putat, quod ad alicujus *sancti festum* celebrata fuerint, *missæ* vocabulum vero pro *festo sancti* alicujus adhiberi moris esse, quod in eo missa sollemnis peragatur. Alii (k) à *metiendo*, quia merces ibi metirentur, mensurarenturve, alii (l) ab *encæniis* hodie *Kirch-Messe* dictis illam derivant. Plane singularis est sententia *LEUBERI* (m), qui statuit vocem illam originem traxisse à *missis Officialibus Imperatorum Caroli M. & Ludovici Pii* eorumque successorum, per quos olim nundinarum universalium jura exercuerint, uti ex eodem refert *AHASVERUS FRITSCHIUS* (n). Unam fere eandemque cum *FRESNEO* hac de re sententiam fovet *CL. WACHTERUS* (o). Nos in hac materia, quæ meris nititur conjecturis, & in qua patriæ salus non versatur, judicium nostrum suspendimus.

(i) in *Glossario* hac voce.

(k) uti *LIMNÆUS* in *Jur. publ. Tom. IV. Add. ad L. IV.*

Cap. 8. n. 311. p. 641.

(l) ut *SPEIDELIUS* in *Spec. Jur. Pol. Hist.* voce *Messe*.

(m) in *disquis. plan. stap. Sax. n. 222. 248.*

(n) *Opusc. Tom. II. p. 402.*

(o) in *Glossario Germanico, edit. in fol. voce Messe.*

§. IV.

Multifarium esse nundinarum significatum constat. Primo enim pro *epulis l. 69. D. pro Socio XVII. 2.* fumitur;

Definitio nominalis nundinarum.

sumitur; de qua lege CU JACIUS (p) iudicat: nullam legem eum diutius torfisse, quam hanc, se enim videre non posse, quo modo nundinæ pro epulis accipi possint; hinc illam lectionem præferendam esse censet, quæ in aliis Codicibus reperitur „*ut unus reliquis nundinarias epulas præstaret.*„ Non vacat in præsentem hanc legem exponere, ex professo enim illam jam explanavit DORSCHHEUS (q) aliique (r). Deinde *Dea* quædam apud Romanos *Nundina* vocabatur, quod nomen à nono die nascentium acciperat, (s) qui dies lustricus nuncupabatur, quod scilicet infantes lustrabantur, & nomen eis imponebatur. Is maribus erat nonus, feminis octavus. (t) Pro *vico* quoque sumi vocabulum nundinarum observat du FRESNE (u) eodem modo, quo vocabulum *Markt* Germanis tum nundinas scilicet minus solennes denotat, tum vicum *einen Markt- Flecken*. Qui & pro *torneamentis, præliis & bellis* sæpius adhibitam fuisse vocem *nundinæ* testatur. Porro *ordinationem & creationem Consulum* sæpius indigitat apud Historiæ Augustæ scriptores *Nundinia* seu *Nundina Consulum*, ut ostendit SALMASIUS (v) HOFFMANNUS (w) & SPANHEMIUS (x). Ut taceam *vacationes*, ferias à nobis vulgo dictas, in legibus D. & Cod. significare nundinas. (y) Denique *mercatum* seu locum, ubi merces publice emuntur vendunturque hodie maximè audire, quivis rerum omnium haud plane ignarus, intelligit.

(p) *lib. IV. obs. 17.*(q) *in*

IN GENERE.

9

- (q) in *progr. funebr. Joh. Philippi Wogesseri an. 1646.* quod allegat BESOLDUS *Thef. Pract. voc. Messe.*
- (r) ut PETRUS DE TOULLIEU ad hanc legem ANTON FABER *Conject. lib. V. Cap. 4.* ERYCUS PVTEANUS de *nundinis Romanorum.* SCHILTER *Exerc. VII. ad Dig. § 29. & Exerc. XXIX. §. 18 sq.* ubi Cujacio respondet. GERARDUS NOODT *Coment. ad Dig. L. XVII. Tit. 2. ad fin. & JO. a COSTA in Recitatione solemnii ad l. 69. dict. quæ extat ad Calcem Comment. ad Institut.*
- (s) teste MACROBIO *Saturn. lib. 1. Cap. 19. p. 51. sq.*
- (t) ROSINUS *Antiq. Rom. L. II. Cap. 19.*
- (u) in *Glossario hac voce & VELSERUS in Scholiis ad vitam S. Severini p. 668. Operum Reip. August. & WACHTERUS in Glossario Germ. voce Markt.*
- (v) in *not. ad Vopiscum in Tacito.*
- (w) *Lexic. univers. Contin. voc. Nundinia.*
- (x) *Orb. Rom. p. 339. Edit. HEINECCII 1728.*
- (y) CALVINI *Lexicon Juris voc. Nundina.*

§. V.

Sunt autem hoc ultimo in significato *nundina*, Definitio realis.
conventus publica auctoritate statis temporibus & locis mercium aliarumque rerum emendarum vendendarumque gratia in commerciorum emolumentum instituti. Divi- Diviso.
 duntur vulgo in *solemnes*, & *minus solemnes*, & *hebdomadales*. *Solemnes* definiuntur, quod sint *conventus commerciorum causa à summo imperante per totam Germaniam privilegiati*, plenam eos frequentantibus attribuentes securitatem. *Minus solemnes* vocant, *conventus à principe vi superioritatis territorialis in territorio suo, absque immunitate plenaria, sed in territorio saltem vigente, mercatus causa, civitati concessi vel permissi.*

B

missi.

missi. Hebdomadales sunt conventus, singulis hebdomadibus ob annonæ copiam, à Magistratu inferiore in suis urbibus instituti, nullis privilegiis, sed jure communi gaudentes. Nos hoc loco saltem de solemnibus, quas vocant, quædam verba facturi sumus. Præmonendum tamen esse duximus, non confundendum esse Jus nundinarum, cum jure stapulæ, emporii, & germanii. Istud enim cujusdam districtus hominibus injungit, ut merces certas in locum hunc privilegiatum vehant, & venum exponant. Illud merces in locum privilegiatum convectas, non nisi incolis vendendas esse jubet. Hoc saltem tuetur vectigal contra fraudes mercatorum, adeoque per illud transitus mercium liber impediri non debet. (z)

(z) vid. PFEFFINGER ad VITRIARIUM L. III. Tit. 2. §. 44. seqq.

§. VI.

Origo nundinarum in Germania.

Nundinæ in Germania, ob penuriam commerciorum, serius admodum, & ni fallor, sub HENRICO AUCUPE demum cognitæ sunt. Hic enim an. 924. (a) decrevit, ut nundinæ tantum in oppidis (b) fierent. Ante hæc tempora vero nullam nundinarum mentionem faciunt scriptores.

(a) vid. LAMB. SCHAFFNAB. ad an. 924. WITTEKINDUS lib. I. Ann. p. 639. in MEIBOMII Script. Rev. Germ. Tom. I.

(b) Monasteriis quoque & ecclesiis primitus concessi sunt mercatus; sic OTTO I. monasterio S. Nazarii Laurishai-

IN GENERE.

11

Fribaimensi anno 965. concessit mercatus in *Witzenloch*, celebrandos, vid. FREHER *in Orig. Palat. in Append. post. lib. I. p. 174.* Idem OTTO. I. Ecclesie *Osnabrugensi* concessit privilegium nundinas in loco *Widdnbrugge* celebrandi, uti refert CRANZIUS *L. 3. Metrop. Cap. 25.* De CONRADI II. privilegio anno 1038. Archiepiscopo *Hamburgensi* dato, ut in loco *Heslinga*, dicto mercatum institueret, vide MEIBOM. *de pagis Sax in Op. Tom. 3. p. 99.* LINDENBROG *Script. Sept. p. 135.* JO. GRYPHIAND. *de Weickbi Idis Sax. cap. 74.*

§. VII.

Jus nundinarum solemnium acquiritur privilegio Imperatoris, inter cujus reservata pertinet quoque nundinarum solemnium concessio, & ejusmodi concessio per universam Germaniam effectu & auctoritate gaudet. (c) Quod & de Jure Romano erat, ubi nequidem in privatis prædiis ad arbitrium instituerè nundinas cuique permittebatur, sed accedere principis vel Senatus auctoritatem necesse erat. (d) Quemadmodum vero Imperator reservata sua ita, ne jus tertii lædatur, exercere solet, (e) ita quoque nundinarum solemnium jus nemini concedit, nisi prius audiverit vicinos principes, status, civitatesque, quarum interesse posset (f), & nisi addita sit clausula: dem heiligen Römischen Reich und man niglichen an seinen Rechten, unnachttheilig. Sunt tamen & Doctores, qui statibus imperii potentioribus jus concedendi nundinas in territorio suo attribuunt (g). Cum his in tantum consentimus, in quantum minus solemnnes nundinas intelligunt, recedimus ve-

Jus nundinas solemnnes concedendi est reservatum Imperatoris.

Dissentiunt quidam.

ro ab eorum opinione, si id ad solemnes extendant. Solemnitas enim nundinarum in eo consistit, ut per totum Imperium Romano-Germanicum pro talibus habeantur. Hanc vero ipsis nemo tribuere potest, quam solus Imperator, quippe cujus privilegia & concessionem per totum Imperium Romano-Germanicum effectu gaudent. Prostant etiam exempla in contrarium, nam Lipsia (h) & Numburgum (i) urbes potentissimo Imperii Romano-Germanici principi Electori parentes jus & privilegium nundinarum solemnium ab Imperatoribus acceperunt.

(c) vid. ILL. MASCOVIUS *Princ. Jur. publ. lib. VI. Cap. III. §. XI. REINKING de regimine Sec. & Eccles. L. I. d. §. C. 6. n. 156.*

(d) BARNAB. BRISSONIUS *Sch. Antiq. lib. I. Cap. 15.*

(e) Argum. CAPITULAT. CAROLINÆ *art. XXII.* quo cautum est ne Imperator novos Imperii principes crearet, nisi auditis prius principibus jamjam creatis. Idem quoque suis temporibus sponderunt LEOPOLDUS & JOSEPHUS gloriosissimæ memoriæ *Capitulat. art. 44. & 43.* Constat autem jus nominandi principes soli competere Imperatori, cui illud reservatum fuit, quid autem prohibet ab uno reservato ad alterum concludere.

(f) vid. GAILIUM 2. *Obs. 69. n. 24.* Dissentit tamen FRITSCHIUS *de Reg. Nund. Jure Cap. 4. n. 77.*

(g) TITIVS *Jur. publ. lib. III. Cap. §. 6. p. 311.* aliique.

(h) Lipsia jus nundinarum accepit à MAXIMILIANO I. anno 1497. confirmavitque eidem illud CAROLUS V. anno 1521. Extant quoque privilegia LEOPOLDI & CAROLI VI quibus Lipsiensibus hoc jus confirmaverunt
apud

apud Cl. LUNIG in *Reichs-Archiv. Part. Spec. Cont. IV. 2. Theil p. 623.* & in *STATUTIS LIPSIENS. p. 3. 19.*

- (t) Habemus privilegium MAXIMILIANII. quo concessit Numburgensibus facultatem nundinas à die, vulgo der grüne Donnerstag vocato, in aliud tempus transferendi, quod cum confirmatione D. LEOPOLDI exhibet LUNIG. *l. c. p. 669. & 670.*

§. VIII.

Diu autem a JCTis in utramque partem fuit disputatum: an Imperator nondum coronatus privilegium nundinarum solemnium concedere possit? Verum inutilis hodie est hæc controversia, cum sola electio plenum imperii administrandi jus Imperatoribus tribuat, (k) qui quoque hanc ob causam sese electos Imperatores nominant. (l) Accedit & hoc quod olim principes in Germania electi & coronati, licet re vera omnem imperii potestatem habuerint, Imperatoris tamen titulum tunc demum adsciverint, ex quo Romæ coronati essent, (m) non major tamen ipsis post coronationem Romæ factam erat imperandi auctoritas, sed in titulis saltem quædam diversitas. Antiquissimis quoque temporibus Germani coronationem principum ignorabant, & alios habebant ritus publicè deferendi regibus principibusque imperium, e. g. solebant novum principem scuto impositum sustinentium humeris vibrare, uti de BRINNONE quodam, CANNINEFATUM Duce, refert TACITUS. (n)

(k) vid. Ill. MASCOV. *l. c. lib. III. Cap. III. §. 28.* & PER

CAP. I. DE NUNDINIS

ILL de LUDEWIG in *Commentar. ad A. B. Tit. H.*
§. 8. not. f.

(l) Hoc titulo jamjam usus est HENRICUS VI. cum ipsum Pontifex LUCIUS III. vivo ejus parente FRIDERICO I. coronare nollet, teste LEIBNITIO in *Cod. Jur. Gent. diplom. Prodr. n. 5.* Item MAXIMILIANUS I. qui cum à Venetis præcluderetur aditu in Italiam anno 1508. Tridenti Cæsarem se proclamari jussit, atque ab eo tempore se electum Romanorum Imperatorem appellavit.

(m) Summe necessaria olim habebatur coronatio imperialis Romana. Illamque necessitatem maxime inculcabant aulæ Romanæ asseclæ; ea enim erat Pontificum absentia, ut sibi hoc modo vindicarent jus & potestatem judicandi de electi principis meritis, eumque vel confirmandi vel rejiciendi, vid. *Cap. Venerabilem X. de electione & electi potestate.* A FERDINANDII, tamen temporibus coronatio hæc omissa est. LUDOVICUS BAVARUS jamjam & GUNTHERUS Schwarzburgicus *criminis læsæ Majestatis* reos censebant illos, qui statuebant coronatione Romana imperium deferri imperatoribus, vid. GOLDASTUS *Tom. III. Constit. Imp. p. 409. 414.*

(n) *Hist. lib. 4. Cap. 15.* & sæpe laudatus ILL. MASC OV, *Geschichte der Teutschen Lib. IV. §. 42.*

§. IX.

Denegatur hæc potestas Regi Romanorum vivo Imperatore electo.

Nihilominus tamen Regi Romanorum, vivo Imperatore electo, hæc potestatem jus nundinarum solemnium concedendi merito denegamus, nisi hoc illi ab Imperatore fuerit demandatum. Rex Romanorum enim vivo Imperatore electus, si quædam regni negotia administret, illa non proprio, sed tantum vicario

vicario Imperatoris nomine gerit. (o) Hinc quoque in Capitulationibus suis reges polliceri solent, quod vivo Imperatore nolint negotia Imperii attingere, nisi in quantum ab ipso demandata fuerint, uti patet ex FERDINANDI IV. (p) & JOSEPHI (q) gloriosissimæ memoriæ Capitulationibus.

(o) vid. Ill. MASCOV. *Princip. Jur. publ. lib. III. Cap. V. §. 7. sq.* & LIMNÆUS in *J. P. L. II. C. 15. n. 22. sq.*

(p) *ibi art. 47.* Wir sollen und wollen auch uns keiner Regierung oder Administration im H. Röm. Reich weiter oder anders unterziehen, denn so viel uns von Kayserl. Majestät vergönnet, und zugelassen wird, auch J. K. M. die Zeit ihres Lebens in Ihrer Hoheit und Würde des Kayserthums keinen Eintrag thun.

(q) *ibid. art. 47.* Wir sollen und wollen auch uns zu keiner Regierung oder Administration im H. Röm. Reich, so lang J. K. M. im Leben sind, unterziehen.

§. X.

Eodem modo hic à nonnullis quæstio propo-
sita fuit: an Vicariis Imperii competat jus conceden-
di privilegium nundinarum solemnium. Verum
cum §. VII. jamjam probaverimus Imperatori hoc
jus competere, sponte fluit, illud & Vicariis com-
petere, quippe qui mortuo Imperatore, vel si Im-
perator resignaverit, vel depositus fuerit, ejus vi-
ces gerunt, quod vel ex denominatione eorum patet.
Quanquam vero nullum adhuc, uti ego quidem
memini, prostat exemplum, quod Vicarii jus hoc
exercuerint, exinde tamen validum argumentum
pro

Competit ta-
men hoc jus
Vicariis Im-
perii.

pro sententia nostra duci potest, quod alia exereuerint Caesaris reservata. (r) Sunt quidem, qui statuunt, Vicariis nulla competere jura, nisi quæ in A. B. (s) determinarentur: nos tamen cum III. MASCOVIO (t) putamus, illos *pro indole vicariæ pateshariis* omnia regni negotia exercere posse, ut ipse Imperator ad normam Capitulationis suæ poterat. Quod vero ad locum illum AUREÆ BULLÆ atinet, ex illo potius nos argumentari possumus: Vicarios omnia illa jura Imperatoris exercere posse, quæ non speciatim in allegato loco excepta sunt, ut investitura de feudis vexilli, & alienatio rerum imperii.

(r) Sic FRIDERICUS AUGUSTUS gloriosissimæ memoriæ Polonorum Rex & Saxonum Elector post mortem D. JOSEPHI Vicarius Imperii Illustri JCtorum Ordini Lipsiensi tribuit Jus Comitivæ Palatii, vid. LUNIG im *Reichs-Archiv Part. Spec. Contin. II. im Anhang nach Grafen und Herren p. 70.* Eadem dignitate ornavit Gravissimum Senatuum Lipsiensem; diploma exhibet IDEM *l. c. Part. Spec. Cont. IV. 2. Theil p. 633.*

(s) *Cap. V.*

(t) *l. c. lib. III. Cap. 8. §. 9.*

§. XI.

Modi amittendi jus nundinarum.

(*) revocatione concedentis

Vidimus hætenus quibus modis acquiratur jus nundinarum solemnium, restat, ut brevibus dispiciamus, quomodo extinguitur. Extinguitur autem iisdem modis, quibus reliqua privilegia extinguntur. Nimirum primo *revocatione concedentis*. Prolixi hic sunt Doctores, qui de nundinis scripse-

scripserunt, ut disquirant, an liceat Imperatori jus nundinarum civitati forsan ab ipso vel etiam antecessoribus ejus concessum adimere & aliorum transferre. In diversas abeunt sententias, quibusdam hanc quæstionem affirmantibus, aliis illam negantibus. Nos cum LAUTERBACHIO (u) BOEHMERO, (v) & SCHAUMBURGIO (w) illam quæstionem affirmamus, hac tamen adjecta conditione, si adsit justa causa. Hoc quoque notandum est, principem facilius posse revocare privilegium ex mera gratia concessum, quam illud, quod quis titulo oneroso ab ipso acquisivit. Rariores tamen hodie erunt casus ejusmodi revocationis. Deinde *non usu* per ordinarium præscriptionis tempus. Licet enim *l. 1. ff. de nundinis* decennium statuatur, illud tamen ad nos Germanos malè applicatur. Hoc enim decennium ordinarium inter præsentis præscriptionis jurium tempus apud Romanos erat. (x) Cum vero hoc tempus in Germania in triginta annos mutatum sit, legulegium sapere hanc decennalem præscriptionem nundinarum in Germania, quilibet vel me tacente cognoscet. (y) Excipiendos tamen hic illos casus esse statuo, si per bellum grave vel pestilentiam grassantem civitas hoc privilegio uti non potuit, tunc enim ipsi ob impedimenta hæc legitima nulla culpa potest imputari. Denique *renunciatione expressa*, quilibet enim favori pro se introducto valide renunciare potest. (z) Qui tamen casus hodie quam rarissimè evenient. (*)

(β) præscriptione.

(γ) renunciatione expressa.

C

(u) in

- (u) *in Comp. Jur. ad lib. I. Tit. IV.*
 (v) *Jur. Digest lib. I. Tit. IV. §. 16. sq.*
 (w) *diff. de natura privilegiorum tam gratiosorum quam conventionalium. Fene 1736. habita.*
 (x) *vid. CUJACIUM de divers. temp. praser. & termin. Cap. 26.*
 (y) *vid. WESENBECC. in Parat. ff. de Nundinis n. 3.*
 (z) *l. 29. C. de pactis. II. 3.*
 (*) *TITIUS Jur. priv. Cap. I. §. 21. sq.*

§. XII.

Privilegia
nundinarum.

(z) Securitas
publica sive
salvus con-
ductus.

Variis egregiisque gaudent nundinæ privile-
 giis, quibus Imperatores olim allicere volebant mer-
 catores, ut easdem eo sæpius frequentarent. Inter
 hæc primo loco nominari meretur privilegium de
 securitate fide publica interposita, quam tuetur
 hodie usitatus, & sic dictus salvus conductus, qui
 vulgo vocatur, das sichere Geleite auf freyer Kayserli-
 cher Heer- und Reichs-Strassen, quem quilibet pere-
 grinantium petere potest. Finis hujus salvi condu-
 ctus est, ut viatores & peregrinantes tuto & securè
 per territoria transire possint cum mercibus suis:
 A quo privilegio nec Judæi excluduntur, licet alias
 in tali territorio non tolerentur. (a) Quamvis ve-
 rò viæ regiæ per territoria principum statuumque
 imperii quotidie ita comparata esse debeant, ut qui-
 libet secure per illas transire possit, ad nundinas ta-
 men proficiscentibus in specie hoc privilegium salvi
 conductus & securitatis publicæ dederunt Imperato-
 res (b) & hoc privilegium per universum Imperium
 Roma-

Romano-Germanicum valet. Ejusmodi privilegiis à FRIDERICO I. Imperatore, ejusque successoribus, ipsi collatis superbit S. R. I. libera Respublica Mœno Francofurtensis, de quibus suo loco pluribus agemus. Adhuc hodie hic salvus conductus Francofurti ad Mœnum præstatur quibusdam solemnitatibus adhibitis, à Senatore enim quodam & triginta circiter civibus equitibus peregrini per civitatis territorium conducuntur, de qua materia prolixè egit B. ACHILLES AUGUSTUS de LERSNER, dum viveret, Scabinus meritissimus. (c)

(a) *R. J. d. a. 1554. §. diesen zu begegnen, ibi verb. doch sollen die Juden &c.*

(b) *BAIER Delincat. Jur. Germ. lib. I. Cap. XIV. §. 8. TITIOS in Jur. priv. I. X. Cap. IV. §. 10. sq.*

(c) *in Chron. Francof. Part. I. Cap. von denen beyden Messen.*

§. XIII.

Eximium quoque est, quod jamjam ab Imperatore VALENTE & VALENTINIANO nundinas frequentantibus datum est privilegium, quod nimirum nemo in nundinis atque mercatibus sub prætextu privati debiti conveniri vel arrestari queat. (d) Mirum in modum hic in diversas Doctores abeunt sententias, quærentes quodnam spatium hic nundinarum nomine veniat? quænam debita, quænam personæ ab hoc beneficio excludantur? & quæ sunt

(β) Immunitas ab arrestis & carceribus.

similia. Eas verohic recensere supersedeo, partim quia ad nundinas Mceno-Francofurtenses applicari non possunt (e) partim quia jamjam illi, qui ex professo de nundinis scripserunt, (f) easdem enarraverunt, & confutarunt.

(d) *l. un. C. de nundinis.*

(e) Facili negotio enim intelligi possunt CAROLI IV. & MAXIMILIANI I. privilegia civitati patriæ hac de causa concessa.

(f) FRITSCHIUS, HABERKORN, GLOKIUS alique quos recenset Consult. D. JENICHEN in *Biblioth. Lipen. voc. nundina.*

§. XIV.

(y) Excusant
à contumacia.

Ex hactenus dictis prono alveo fluit, nundinarum ferias quoque à contumacia in non comparando commissa excusare. (g) Utrum vero omnes, an mercatores tantum excusent, inter BRUNNE-MANNUM (h) & CARPZOVIUM (i) controversatur. Tutius tamen est sequi BRUNNEMANNUM, cum merces non venditores solum, sed & emtores requirant.

(g) SCHILTER; *Exerc. VII. §. 23. sq.* NOODT *Comment. ad Dig. L. II. Tit. XII.* HUBERI *Pract. ad Dig. L. II. Tit. XII.*

(h) in *Proc. Cap. 6. n. 23. sq.*

(i) *Part. I. C. 30. d. 24.*

§. XV.

Non tamen hæc nundinarum privilegia eo sunt extendenda, ut etiam primo à restitutione rerum furtivarum, bona fide emtarum, liberent, donec pretium sit restitutum. Licet enim tuta & libera esse debeant negotia & contractus, non tamen eo securitas amplianda, ut contra leges & jura quis mercari, & plane incautus emere valeat, sed debet quisque scire conditionem ejus cum quo contrahit. (k) Atque bona fides efficere non potest, ut alterius jus prius & fortius, nempe dominium, inane reddatur (l). Neque deinde dicta privilegia ad immunitatem à vectigalibus similibusque oneribus trahenda, sed territoriali domino vectigalia ac tributa non solum, verum etiam Magistratui urbis in quo habentur nundinæ loci pretium, vulgo das Stand-Geld præstandum est.

Cessat privilegia nundinarum a) in rei vindicatione.

(l) in vectigalium immunitate.

(k) l. 19. pr. D. de Reg. Jur. Conf. quoque RICHTERI Decis. 36. Part. 2. n. 26. 37. p. 300. 301.

(l) vid. DRESSEL Comment. ad SCHOEPPFERI Synopsin. Jur. priv. p. 175. MEVIUS ad Jus Lubecense P. 4. T. 1. n. 9.

CAP. II.

DE

NUNDINIS MOENO-FRANCO-
FURTENSIBUS IN SPECIE.

§. I.

Transitio.

PRæmissis hisce de juribus nundinarum in genere, transgredimur nunc ad *Mæno-Francofurtenses* (a) nundinas.

(a) Variis nominibus à mediæ ævi Scriptoribus insignitur hæc Respublica, qualia sunt, FRANCKFURT. vid. REGINO *Chron. l. 3.* apud. PISTOR. *in Script. rer. Germ. Tom. 1. p. 94.* FRANCONOFURDIA *l. c. p. 106.* FRANCKENFURT vid. *Addit. ad LAMB. ad ann. 1240.* FRANCKIFORDIS ap. PER ILL. *de LUDEWIG Reliq. Manuscr. Tom. VIII. p. 247.* FRANCONEWORDE vid. ANNAL. SAXO. *ad ann. 1217.* ap. ECCARD. *Corp. hist. T. 1. p. 160. 459.* & quæ sunt similia. Hodie, nisi cum Evandri matre loqui malis, FRANCOFURTUM plerumque audit. Inclytâ satis est hæc civitas electione Cesarum à CAROLO IV. in A. B. *Tit. 1. §. 19. 24. 25. Tit. II. §. 1. & 4. Tit. XXVIII. §. 5.* hunc in locum assignata, aliisque prærogativis, ab Imperatoribus eidem concessis, quæ CODEX PRIVILEGIORUM MOENO-FRANCOFURTENSIVM præterito Seculo editus & ante aliquot annos recusus exhibit. Aliqua quoque eorundem pars legi potest apud CL. LUNIG *in Archiv. Imp. Part. Spec. Cont. IV. 1. Theil 557. sq.*

§. II.

§. II.

Duæ vero hac in urbe quotannis celebrantur Duas habet quotannis nundinas. nundinæ, *vernales* puta & *autumnales* (b) in toto terrarum orbe satis celebres, ad quas ex Italia, Gallia, Polonia aliisque ad mercaturam confluere solent, ut non erraveris, si hanc civitatem caput omnium dixeris nundinarum.

(b) In his civitas Norinbergensis, Wormatiensis & Bambergensis immunitatem suam à vectigalibus proxima die juridica ante nativitatem Mariæ à Sculteto & Dicafterio Francofurtensi per tubicines redimunt, qui mos Germanicè *das Pfeiffer-Gericht* vocatur, vid. B. LERSNERUS I. c. HORNICK *de regali Postarum jure* Cap. 18. theor. 10. & FLORIANI *Chron. Francof.* p. 24.

§. III.

Incerta tamen quam maximè est harum nundinarum origo. Ob conventum quendam imperialem eas institutas esse refert GOLDASTUS. (c) & ex illo B. LERSNERUS (d). Exhibet nimirum ille Diploma CONSTANTINI III. Imperatoris Augusti de anno 411. quo modo dictus Imperator Agricolaë, Galliarum Præfecto, intimat, sese jubere, ut quotannis in urbe *Arelatensi* tanquam Galliarum metropolitana, septem provinciæ habeant concilium, in quo tam singulis, quam in commune consulatur. Incipere debebat hic conventus Idibus Augusti, & omnes qui ad constitutum locum de origine nundinarum Francofurtensium. Goldasti & Lersneri opinio. intra

intra tempus definitum venire distulerint, ternis quaternisve auri libris mulctabuntur. Eundem hunc conventum annuum à CAROLO M. *Moguntiam* inde vero à FRIDERICO II. anno 1237. *Francofordiam* translatum, & *missam S. Bartholomæi* vocatum fuisse statuunt, si discesseris ab allegatis GOLDASTO & LERSNERO, CALVISIUS (e) GLOCKIUS, (f) HOFFMANNUS (g) aliique.

(c) *Constit. Imp. Tom. III. p. 1.*

(d) *Chron. Francof. l. c.*

(e) *Op. Chronol. p. 805.*

(f) *diff. de nundinis §. 8. quam exhibet MALCOMESIUS ad Wesenbeccium p. 794.*

(g) *Lexic. univ. voce Francofurtum ad Mœnum.*

§. IV.

Examinatur hæc opinio.

Maximè tamen dubia mihi semper visa fuit hæc opinio. Persuadere enim mihi non possum, quomodo ea, quæ GOLDASTUS (h) de origine nundinarum scribit, & quæ B. LERSNERUS (i) ex *Topographia Hassiæ* adducit, cohæreant, quod nimirum jamjam FRIDERICUS BARBAROSSA anno 1165. omnes ad nundinas Mœno-Francofurtenses proficiscentes in suam & S. R. I. tutelam receperit. Quis autem induci poterit, ut credat, FRIDERICUM BARBAROSSAM anno 1165. jamjam in suam tutelam recepisse proficiscentes ad nundinas Mœno-Francofurtenses post septuaginta & quod excurrit annos demum instituendas.

(h) ad

(h) *ad marginem Constitut. cit.*(i) *Chron. l. c.*

§. V.

Quodsi itaque hac in re aliquid dandum sit probabilitati, hæ difficultates ita conciliari, ut credo, possunt, ut dicamus, FRIDERICI I. temporibus jamjam institutas fuisse nundinas Mœno-Francofurtenses, FRIDERICUM II. postea conventum (k) istum annum antea *Moguntia* habitum, de quo hætenus nobis sermo fuit, *Francofurtum*, propter nundinas ibi jamjam institutas, transtulisse, ut ad hunc conventum proficiscentes eo commodius ibidem hæ-
 rere, & ad sustentationem vitæ necessaria eo copiosius habere possint. FRIDERICUS II. itaque Reipublicæ Mœno-Francofurtensi jus nundinarum confirmavit potius ac restauravit, quam concessit (l).

Nostra conjectura.

(k) Diu enim ante FRIDERICUM II. tam conventus imperiales quam *conclia* Francofurti ad Mœnum habitas fuisse non nisi omnis historia ignarus, negare poterit. Duo autem quam maxime celebria sunt *conclia*. Primum an. 794 à CAROLO M. contra *heresin Elipandinam & Felicianam* convocatum. Rejiciebatur in hoc Concilio principium Felicis ejusque asseclorum statuentium, Christum secum carnem esse Dei patris filium adoptivum, & sanciebatur Christum etiam secundum carnem verum Dei filium, non adoptivum dicendum esse. Actum ibi simul fuit de *Conclio Niceno* secundo anno 788. habitum, an imagines sint adorandæ, et statutum, venerationem & adorationem imaginum esse impiam, & Synodum Nicenam secundam, quam septimam Oecumenicam

D

nicam

CAP. II. DE NUNDINIS MOENO.

nicam vocarunt, tanquam spuriam esse abolendam. vid
 HERMANN. CONTR. ad ann. 794. ap. CANISHII
Thef. Lect. Antiq. T. III. Part. I. p. 243. ANNALISTA
 SAXO apud ECCARDI *Corpus Hist. med. avi T. I. p.*
 160 SIGEBERTUS GEMBLACENSIS *ad an. 794.* in
 PISTORII *Tom I p. 783.* aliique. *Alicrum*, illustre
 satis concilium ab HENRICO II. Imperatore an 1007.
 habitum Francofurti teste UDALRICO BABENBERG
 apud ECCARD. *l. c. T. III. p. 60.* Celebrata quoque co-
 mitia Francofurti fuisse ante FRIDERICUM II. non
 multa & operosa indiget probatione. Plena enim sunt
 de his rerum tunc temporis gestarum monumenta.
 De temporibus CAROLI M. LUDOVICI PH & ejus
 filiorum testantur THEGANUS *de gestis Ludovici Pii*
 apud KULPIS *l. c. p. 76.* & NITHARDUS *de dissens.*
Filiorum Ludov Pii L. 2 ap. EUNDEM p. 91. De AR-
 NULPHO testis est REGINO *Chron. L. 2. ap. PISTOR*
l. c. T. I. p. 94. OTTONEM M. sepius comitia & con-
 ventus Francofurti instituisse utramque facit paginam in
 REGIN. *Chron. Lib. 2. apud PISTOR l. c. T. I. p. 104.*
 105. 106. Ut de aliis jam taceam.

(1) FRIDERICI II. privilegium, quo omnes nundinas
 Mœno-Francofortenses frequentantes in suam & S. R. I.
 tutelam recipit, exhibent LUNIG *l. c. p. 557.* KULPIS
in Script. Rer. Germ. p. 169. sub Diplom. LIMNÆUS in
Jure publ. Lib. VII. Cap. 16. n. 24 p. 231.

§. VI.

Facies nundi-
 narum sub
 Conrado IV.

Tacite hoc jus nundinarum Reipublicæ Mœ-
 no-Francofurtensi confirmavit CONRADUS IV.
 vivo parente FRIDERICO II. electus (m) tum ipsi
 an. 1242. omnia ejusdem privilegia corroboravit. (n)

(m) Eligebatur enim anno 1237. Vienne loco depositi fra-
 tris

FRANCOFURTENSIBUS IN SPECIE. 27

tris HENRICI uti patet ex ANNAL. COLMAR. *ad dict. ann. p. 15. ap. URSTISIUM T. II, & LEIBNITIO Cod. Jur. Gent. Diplom. n. XI. p. 10.*

(n) Diploma exhibet LUNIG *l. c. p. 558.*

§. VII.

Eodem modo anno 1254. V. Idus Augusti omnia ^{Sub Wilhel.} atque ita & nundinarum privilegia patriæ meæ confirmavit WILHELMUS (o) Rex Romanorum. (p) ^{mo.}

(o) vid. LUNIG *l. c. p. 559.*

(p) Mortuo HENRICO RASPONE Thuringiæ Landgravio FRIDERICI II. Anti Cæsare suasu Pontificis, qui FRIDERICUM excommunicaverat, ab Electoribus Ecclesiasticis Moguntino, Trevirensi & Colonienfi an. 1247. eligebatur, teste NICOLAO DE CURBIO *in vita Innocentii IV. Cap. 22. p. 376. & CONRADO EPISCOPO in Chron. Moguntin. p. 774. apud REUBERUM l. c. Injuste itaque electus erat WILHELMUS Comes Hollandiæ, mortuo autem CONRADO IV. die 21. Maji an. 1254. ab omnibus fere Germaniæ principibus rex agnoscebatur, à quo etiam tempore recte anni computantur, quibus WILHELMUS Imperio præfuit, vid. ALBERTUS STADENSIS in Chron. ad hunc. an. ap. KULPISIUM l. c. p. 220. Annal. COLMAR. ad hunc. ann. p. 7. Hoc itaque certum est WILHELMUM tunc temporis legitimum Imperatorem fuisse, quo civitati meæ patriæ hæc privilegia confirmavit.*

§. VIII.

Hujus successor Richardus (q) non minus quam ^{Sub Richardo} & hunc excipiens Rudolphus Habsburgicus, ille ^{& Rudolfo} anno 1257, hic anno 1273. idem fecere. (r) ^{Habsburgico.}

(q) E vivis erepto WILHELMO septem principes Electores *Francofurti* anno 1256. conveniebant, & à nonnullis ALPHONSUS Rex Castilia à plurimis tamen RICHARDUS noster Comes Cornvallix, Rex Romanorum electus est. LEIBNITII *Mantiff Cod. Jur. gent. diplom. P. I. p. 93.* Si hodie recepto more, ubi electio per majora secundum A. B. introducta est, de hac electione judicari liceat, omnino RICHARDUS pro Rege legitimo habendus est, imprimis, cum & Aquisgrani coronatus fuerit, vid. MATTHÆUS PARIENSIS. *ad an. 1257. p. 817.* DU MONT. *Corps Diplomatique T. I. P. I. p. 421.* LUNIG *Reichs-Archiv. P. Gen. Contin. II. p. 172.*

(r) vid. LUNIG, *l. c. p. 559. 560.*

§. IX.

Sub Adolpho,
Alberto I. &
Henrico VII.

Neque hoc intermiserunt sequentes Imperatores, ADOLPHUS anno 1294. (s) ALBERTUS I. an. 1299. (t) & HENRICUS VII. ad an. 1310. (u)

(s) vid. LUNIG *l. c. p. 561.*

(t) IDEM *p. 562.*

(u) IDEM *p. 563.*

§. X.

Sub Ludovico
Bavaro.

LUDOVICUS BAVARUS ad gubernacula Imperii evehctus civitati Mœno-Francofurtensi anno 1320. & 1329. non modo omnia privilegia eidem ab antecedentibus imperatoribus concessa confirmavit, sed & an. 1330. (v) die Mercurii post festum S. Georgii eidem novum plane de *nundinis tempore quadragesimarum instituendis* ita concessit, ut ipsi liceat, easdem

FRANCOFURTENSIBUS IN SPECIE. 29

dem has nundinas *vel tempore quadragesimarum celebrare, vel in aliud anni tempus transponere.* Tempus quoque præfixit, quamdiu durare debeant hæ nundinæ noviter institutæ, *nempe XIV. dies.* Omnes etiam ad has nundinas vernaes æque ac autumnales missa S. Bartholomæi dictas proficiscentes *in suam & S.R.I. tutelam recepit.* (w)

(v) Hic est idem ille annus, quo LUDOVICUS BAVARUS mortuo FRIDERICO AUSTRIACO ejus Anti Cæsare plenum imperium adeptus est. Discors enim post mortem HENRICI VII. erat electio, quibusdam LUDOVICUM BAVARUM, quibusdam FRIDERICUM pulchrum Austriacum Regem creantibus. vid. ADLZREITER *Annal. Boj. P. II. L. I. n. 5.* ALBERTUS ARGENTINENSIS *p. 119. sq.* apud URSTISIUM *T. II.* LUDOVICUS quidem a quinque principibus Electoribus atque ita per majora eligebatur, quæ vero electionis ratio, per A. B. demum stabilita, tunc temporis nondum in usu erat. Hinc inde bellum inter LUDOVICUM & FRIDERICUM variis vicissitudinibus gestum est. Pacem tandem hac conditione pangebant, ut ambo imperio præessent. Substitebant hæc, donec FRIDERICUS ineunte anno 1330. diem obiret supremum. vid. GERHARD. à ROO *Annal. Austr. lib. III p. 89.* Tunc temporis itaque quo civitatem Mœno-Francofurtensem tanto privilegio donavit LUDOVICUS BAVARUS, solus legitimusque Imperator fuit.

(w) vid. Cl. LUNIG *l. c. p. 563. 564. 565.*

§. XI.

Concesserat idem ille LUDOVICUS BAVARUS *quibusdam urbibus pagisque in vicinia urbis*

Francofurtenſis ſitis *mercatus hebdomadales* diploma-
 tique ipſis hac de cauſſa dato inferuerat verba: *gleich
 der Stadt Franckfurt am Mayn*, quæ verba cum iſti
 ita explicarent, nimirum conſeſſas, ipſis eſſe ab Im-
 peratore nundinas ſolemnes eodem jure gaudentes,
 quo fruereſtur nundinæ Mœno-Francofurtenſes,
 Senatus vero Mœno - Francofurtenſis hac de re,
 in præjudicium civitatis tendente, LUDOVICUM
 Imperatorem certioreſ feciſſet, hic pro propitio in
 Rempubliſcã Mœno-Francofurtenſem animo anno
 1332. novo diplomate (x) mentem ſuam ita declara-
 vit, verba illa *gleich der Stadt Franckfurt am Mayn*
 in privilegio urbibus & pagis illis conſeſſo non ali-
 ter, quam de *mercatus hebdomadalibus*, intelligen-
 da eſſe.

(x) vid, LUNIG *l. c. p. 566.*

§. XII.

Neque ſilentio prætereundum eſt anno 1337.
 LUDOVICUM noſtrum diplomate quodam (y)
 Reipubliſcæ Mœno-Francofurtenſi promiſſiſſe, ſeſe
*neque urbi Moguntinæ, neque alii civitati privilegium
 nundinarum ſolemniũ in præjudicium nundinarum
 Mœno-Francofurtenſium conſeſſurum eſſe; ubi præ-
 fertim, quod notatu digniſſimum eſt, addit, ſi for-
 ſan ipſe vel quis ex ſucceſſoribus ejus civitati Mogunti-
 næ vel alii civitati privilegium nundinarum concederet,*
 cives Mœno-Francofurtenſes vero hoc promiſſum
 in memoriam revocarent Imperatori, privilegium
 illud

FRANCOFURTENSIBUS IN SPECIE. 31
illud Moguntinæ urbi concessum, nullum fore.

(y) IDEM *l.c.p.* 567. & apud LIMNÆUM T. 3. *addit.*
n. 27. *sq.*

§. XIII.

• Excommunicato à Pontificibus & recentissime Sub Gunthero
à CLEMENTE VI. LUDOVICO BAVARO Mo-
guntinus una cum Trevirensi, Colonienſi, Rege
Bohemiæ & Duce Saxonie instinctu Pontificis anno
1346. mense Julio in odium LUDOVICI CARO-
LUM filium regis Bohemiæ in villa Renſe Regem
Romanorum elegerunt (z). Mortuo autem an. 1347.
LUDOVICO Henricus Moguntinus, cum Bran-
denburgensi, Bavaro & Palatino Electoribus anno
1349. mense Februario Francofurti ad Mœnum in
Regis solium sustulerunt GUNTHERUM Comi-
tem in Schwarzburg. (a) Ex quò patet GUNTHE-
RO huic addictos tunc temporis fuisse cives Mœno-
Francofurtenses. Qua quoque de causa CARO-
LUS IV. ipsis privilegia nundinarum ab antecesso-
ribus concessa ademit, illaque Moguntinis conces-
sit, GUNTHERUS vero Francofurtensibus omnia
privilegia confirmavit. (b) Uterque igitur CARO-
LUS & GUNTHERUS præparabant bellum, su-
pervenit autem, stante utroque exercitu, LUDO-
VICUS Marchio Brandenburgicus, qui se inter Re-
ges prædictos interposuit, illosque concordavit,
his adjectis conditionibus, ut GUNTHERUS
Schwarzburgicus titulo suo regali renunciaret,
CARO-

CAROLUS autem GUNTHERO summam quamdam pecuniæ pro expensis solveret. (c) Paucis ab hinc mensibus præterlapsis die nimirum XIX. Junii, ejusdem anni, GUNTHERUS diem õpiens supremum Francofurti in æde S. Bartholomæi sepultus jacet. (d)

(z) vid. *Vita Clementis VI.* apud BALUZIUM in *not. ad vitas Paparum Aven* p. 248. 863.

(a) vid. ALBERTUM ARGENTINUM p. 150. apud URSTISIUM T. II.

(b) LUNIG l. c. p. 570. STRUVII *Jur publ. Cap. XII. §. 12.* Sunt quidem, ut JOHANNES LATOMUS in *Catal. Archiep. Mogunt.* apud MENCK. *Script. rer. Germ. T. III.* qui putant GUNTHERUM hac occasione instituisse atque condidisse nundinas Mœno-Francofurtenses *vernales*, concedendo Francofurtensibus privilegium illud nundinarum, quod antea habuerit urbs *Friedbergensis* verum jamjam §. X. narravimus nundinas Mœno-Francofurtenses *vernales* longè antiquiores esse GUNTHERO, dum LUDOVICUS BAVARUS jamjam civibus Mœno-Francofurtensibus concessit jus tempore quadragesimarum per XIV. dies celebrandi nundinas, vid. B. LERSNER l. c.

(c) vid. HENRICUS REBDORFIENSIS in *annalibus ad ann. 1346. & 1349.* in FREHERI *Script. Rer. Germ. Tom. I.* & ALBERTUS ARGENTINENSIS l. c. p. 152. apud URSTISIUM T. II.

(d) THEODORICUS ENGELHUSIUS in *Chron. p. 270.* edit. MADERI putat GUNTHERUM in *Arnstete* prope Erfordiam sepultum esse; Verum præter MONACHUM REBDORFIENSEM l. c. nostram sententiam defendit monumentum ejus in dicta æde S. Bartho-

Bartholomæi exstructum, quod exhibet B. LERSNER
l.c. Cap. vom Bartholomäi Stifft.

§. XIV.

Mortuo GUNTHERO, CAROLUS noster ^{Sub Carolo} imperium solus accipiens, & ab omnibus principibus & civitatibus in Alemannia communi applausu Rex Romanorum agnitus (e) Francofurtum venit, quod & tunc ipsi ut Regi obediens erat, quanquam antea contrarias tenuerat partes. Nec desunt adhuc hodie literæ CAROLI IV. ad civitatem Mceno-Francofurtensem datæ de anno 1349. quibus eam in gratiam suam recepit. (f) Confirmavit quoque ipsi non modo omnia privilegia eidem ab antecessoribus ejusdem concessa, (g) sed & ipsi *nundinarum jus, quod ante aliquod tempus illi ademerat, & civitati Moguntinæ concesserat, reddidit, novis insimul nundinas Mceno-Francofurtenses exornans privilegiis.* Jusfit quoque anno 1368. ut ne quis durantibus nundinis Mceno-Francofurtensibus *debitorem suum concipere & captivum tradere possit,* (h) omnibus potius *proscriptis Imperii ad nundinas proficiscentibus per octiduum ante & post easdem saluum conductum concessit,* (i) ut alia haud exigua, civitati meæ patriæ ab eodem data, (k) in præsentiarum taceam privilegia.

(e) Verba sunt MONACHI REBDORFF. l.c.

(f) exhibet illas LUNIG l.c. p. 571.

(g) IDEM l.c. p. 572. 575. 577. 579. 582. 585.

E

(h) IDEM

- (h) IDEM *l. c. p. 578.*
 (i) IDEM *l. c. p. 592.* KULPIS *l. c. p. 169. seq. sub diplom.*
 (k) Inter alia hic notari merentur privilegia, quod primo cives & incolæ civitatis Mæno Francofurtensis coram nullo alio iudice conveniri possint, quam *coram Prætoro urbano* anno 1349. vid. LUNIG *l. c. p. 581.* Deinde quod urbs Mæno-Francofurtensis neque ab Imperatore, neque ab imperio *alienari* vel *oppignorari* queant anno 1366. vid. LUNIG *l. c. p. 580.* Nec non quod nemini liceat *intra V. milliaria* ab urbe Francofurtensi *urbem* vel *castrum exstruere* eodem anno & die concessum vid. IDEM *l. c.*

§. XV.

Sub Wenceslao.

CAROLO IV. adhuc vivente WENCESLAUS Francofurti anno 1376. Rex Romanorum electus, & eodem anno Aquisgrani coronatus, (l) civitati meæ patriæ omnia præsertim nundinarum privilegia confirmavit. *Litem* quoque an. 1381. inter *urbem Francofurtens.* & *Friedberg.* de nundinis ortam non modo composuit, sed & Reipublicæ meæ patriæ anno 1384. privilegium dedit, nundinas tam vernaes, quam autumnales *per XIV. dies diutius celebrandi*, quam hætenus celebratæ fuerint. Cum vero postea cives Mæno-Francofurtenses hoc Privilegio Imperatoris abusi fuerint, anno 1394. Senatui Francofurtensi rescripsit, ut operam daret, ut ne nundinæ ultra tempus ab Imperatore præfixum, nimirum *autumnales, ultra octiduum* ante festum nativitatis Mariæ, *vernales ultra diem Veneris* ante Dominicam Palma-

FRANCOFURTENSIBUS IN SPECIE. 35

Palmarum protraherentur, ne hebdomas recordationi passionis Servatoris nostri dicata profanis consumeretur negotiis. (m)

(l) vid. STRUVII *Archiv bist. P. 1. p. 50.* WENCKERI *Apparatus Archiv. p. 220.* ERDMANNI *Chron. Osnabr. ap. MEIBOMII Script. rer. Germ. T. II. p. 237.*

(m) Diplomata huc spectantia exhibet LUNIG *l. c. p. 523. 598. 599. 603.*

§. XVI.

Paucis abhinc annis præterlapsis RUPERTUS Sub Ruperto Palatino Rheni. Comes Palatinus Rheni in locum WENCESLAI depositi Rex electus, (n) anno 1400. omnibus civitatis Mœno-Francofurtensis privilegiis ab Imperatoribus unquam illi datis & præcipuè illis de nundinis novum robur addidit. (o)

(n) Anno 1400, principes Electores Lansteinii conveniant, & ad hunc conventum citaverant WENCESLAUM, ut vel ipse vel per procuratorem ibidem compareret, & de objectis criminibus responderet. WENCESLAO vero non comparente Elector Moguntinus die XX. Augusti sententiam depositionis publicabat, illamque publicè prælegebat vid. KOENIGSHOVEN *Elssesser Chron. Cap. II. p. 142.* Novus itaque Rex eligendus erat, quare Electores primum de FRIDERICO Duce Brunsvicensi eligendo cogitaverant, vid. CUSPIANUM. *p. 399.* cum vero hic ad conventum hunc iter faciens à Comite quodam de Waldeck interficeretur, vid. MEIBOM. *de Friderico Brunsvicensi in Op. Tom. III. p. 420.* RUPERTUM nostrum Boppartz Regem

Regem Romanorum proclamabant, vid. GOBELINUS PERSON. *Cosmodrom. et. VI. C. LXX.* ap. MEIBOM. c. l. T. l. p. 313.

(o) vid. LUNIG *l. c. p. 607.*

§. XVII.

Sub Sigis-
mundo.

RUPERTUS autem noster non diu præfuit Imperio, mortuus enim est anno 1410. atque ita IX. annis ante WENCESLAUM. (p) Novum itaque Electores contra WENCESLAUM eligebant regem, SIGISMUNDUM nempe filium CAROLI IV. juniorem, tunc temporis Hungariæ Regem. (q) Hic ad regni gubernacula evectus, anno 1410. civitati Mæno-Francofurtensi privilegium de nundinis à CAROLO IV. ipsi anno 1349. concessum approbavit, æque ac illud quod idem CAROLUS IV. illi ann. 1376. concesserat, quod nimirum omnes banniti Imperii durantibus nundinis Mæno-Francofurtensibus in Imperatoris & Imperii tutela esse atque salvo conductu frui debeant, hasque confirmationes omnes Basileæ (r) anno 1435. repetiit. (s)

(p) vid. CUSPINIANUS p. 393. ANDREAS PRESBYTER. *Chron. Bavar.* apud KULPIS. *l. c. p. 40.*

(q) vid. DUBRAVII. *Rer. Hung. Dec. II. Lib. X. p. 251.*

(r) Ibi tunc temporis habebatur Concilium, cujus descriptionem nobis suppeditavit ÆNEAS SYLVIUS, qui ab initio primus Secretarius in hoc Concilio erat, postea vero ipse Pontifex Romanus eligebatur. E recentioribus notari meretur L'ENFANT *histoire du Concile de Basle.*

(s) vid. sæpe laudat. LUNIG *l. c. p. 608. 613. 618.* & KULPIS *l. c. p. 169.*

§. XVIII.

§. XVIII.

SIGISMUNDO è vivis erepto ALBERTUS II. Sub Alber-
to II.
Austriae Dux anno 1438. Francofurti ad Moenum
electus (t) eodem anno huic civitati omnia privi-
legia ab Imperatoribus ipsi concessa, adeoque ta-
cité & mundinarum privilegia firmissimè stabili-
vit. (u)

(t) CUSPINIAN. *in vita ejus* p. 401. FUGGER *Lib. IV.*
Cap. VIII. MULLERI *Reichstags Theaterum, P. I. C. I.*
p. 2.

(u) LUNIG *l. c. p. 623.*

§. XIX.

Hunc anno 1440. excepit FRIDERICUS III. Sub Frideri-
co III.
AUSTRIACUS. (v) Et hujus gratiam experta est
civitas Moeno-Francofurtensis, dum non modo anno
1442. omnium, sed & in specie anno 1454. nundina-
rum privilegiorum fidem renovavit. (w)

(v) Acta electionis exhibet KULPIS *l. c. p. 185.* Literas ve-
ro Senatus Francof. ad FRIDERICUM III. gratularo-
rias, & confirmationis petitorias privilegiorum profert
IDEM p. 196.

(w) vid. Cl. LUNIG p. 624. 630. 631.

§. XX.

FRIDERICUS probè gnarus quantæ turbæ ex Sub Maximili-
liano I.
electionibus discordibus in Germania ortæ fuerint,
filium suum MAXIMILIANUM vivus vidensque
anno 1486. die XVI. Febr. successorem Regem Ro-
mano-

manorum eligi curavit. (x) Hic non modo paulo post electionem civitati Mœno-Francofurtensi privilegia ab Imperatoribus ipsis concessa de novo fulcivit, sed & anno 1516. die 16. Januarii novum aliquod eiusdem a Ididit. Notum enim est ex §. XIV. CAROLUM IV. ann. 1376. civitati Mœno-Francofurtensi privilegium concessisse, ut omnes proscripti Imperii cum omnibus bonis suis durantibus ambabus nundinis ejusdem civitatis in urbe Mœno-Francofurtensi & ejus territorio in Imperatoris & Romano Germanici imperii tutela essent, & salvo conductu fruerentur, quod quoque privilegium ipsi confirmavit SIGISMUNDUS Imperator an. 1424. uti §. XVII. tradidimus. Cum vero MAXIMILIANUS I. anno 1495. in Comitibus Wormatiæ (y) habitis Ordinationi Camerali articulum quendam infereret hujus tenoris: „Ob jemand begnadigt wäre, des Reichs-Richter zu halten, sollen dieselben Freyheit wider Bestreckung der Urtheile des Kayserlichen Cammer-Gerichtes nicht gebraucht, und die Richter darüber nicht geschützt noch gehalten werden.“ Sæpius accidit, quod durantibus nundinis Mœno-Francofurtensibus homines quidam alios, ac si ipsi banniti vel bannitis familiariter usi fuerint, coram Camera Imperiali accusaverint, quæ rebus sic stantibus bona eorum confiscabat. Quia vero hoc modo & civitati Mœno-Francofurtensi & commercio maximum infligebatur damnum, præcedentibus Senatûs Mœno-Francofurtensis precibus, diplomate de anno

anno 1516. (z) hunc Ordinationis Cameralis articulum ita explicavit MAXIMILIANUS I ut in dicto articulo per bannitos & proscriptos imperii illitantum intelligendi sint, qui propter sua propria crimina (als Selbst-Sacher) nominatim proscripti fuerint, hique prædicto CAROLI IV. & per SIGISMUNDUM confirmato privilegio non comprehendantur; illi vero, qui neque propter sua propria crimina, neque nominatim proscripti, vel proscripto familiariter usi fuerint, non pro proscriptis habendi sint, atque ita privilegiis illis CAROLI IV. & SIGISMUNDI uti fruique possint.

(x) FREHER *Tom. III. p. 23.* GOLDAST. *Politische Reichs-Händel P. I. n. 4. & Reichs Erzungen P. II p. 173.* KULPIS *l. c. p. 218.* MULLERI *Reichstags-Theatr. unter Maximiliano I. Cap. I. §. 5.*

(y) In his Comitibus MAXIMILIANUS I. sancita constitutione pacis publicæ, cum status imperii jam diu conquesti essent de instabili justitii Palatini forma, hanc Cameram Imperialem, instituit eo consilio, ut jure experturis paratior esset judicis copia. vid. III. MASCOU *Jur publ. lib. V. Cap. 7. §. 1.*

(z) vid. LUNIG *l. c. p. 561.*

§. XXI.

Eodem MAXIMILIANO I. imperante in Comitibus anno 1512. Augustæ Trevirorum habitis (a) deliberatum fuit, quomodo nundinæ Mœno-Francofurtenses vernaes in aliud commodius tempus transferri possint, ne tempus anniversariæ recordationi

tioni passionis Servatoris nostri dicatum aliis profanis tereretur negotiis. (b)

(a) verba *Recessus de d. a.* §. 24. sunt: auch ist für Nothdurfft angesehen und betracht, auch dem Burge-Meister von Franckfurt Jacob Hellen befohlen, sich zu erkundigen, und auf nächsten Reichs-Tag relation zu thun, wie die Franckfurter-Mess aus der Fahr-Weche, sonderlich Gott dem Allmächtigen zu Lob verrückt, und auf eine gelegene Zeit gelegt werden möge.

(b) Jamjam WENCESLAUS uti supra §. XVII. indicavimus, idem suaserat Senatui Mæno-Francofurtensi.

§. XXII.

SubCarolo V.
Ferdinando I.
Maximiliano
II. Rudolfo II.

Sub successoribus MAXIMILIANI II. vero nihil memoratu dignum circa nundinas Mæno-Francofurtenses accidit, quam quod nonnunquam propter calamitatem belli, vel aliam ob causam dilatæ fuerint; has vero dilationes omnes hic recensere dissertationis normam excederet. Hoc interim certum est omnes subsequentes Imperatores civitati Mæno-Francofurtensi privilegia ab antecessoribus eidem concessa & in iis expressè privilegia nundinarum confirmasse. (c)

(c) Fecerunt id CAROLUS V. Wormatiæ 1520. FERDINANDUS I. Augustæ Vindelicorum anno 1559. MAXIMILIANUS II. ibidem anno 1566. RUDOLPHUS II. Pragæ anno 1579. &c. vid. Cl. LUNIG l. c. p. 654. 662. 664. 678.

§. XXIII.

§. XXIII.

Illud quoque silentio præterire nequeo, indices librorum inventi. ces illos, qui commercii librarii causa edi solent, & ad javandam librorum peritiam perquam idonei sunt, anno 1564. auctore Georgio Walthero inventos esse, quod institutum postea Batavi & Galli imitati sunt. (d) Gerit tamen Imperator semper per Commissarios suos in nundinis suis curam & inspectionem in rem librariam, ne quid typis publicè exeat, quod Reip. detrimento esse possit, quare & catalogo Francofurtensi libri contra ejus prohibitionem inferi nequeunt. (e)

(d) teste MIRÆO *Biblioth. Eccl. P. II. Cap. 1. 7.* vide CONRINGII *Epist. de Biblioth. Aug.* apud MADE-
RUM *de Biblioth. & Archiv. p. 166.*

(e) MULZII *Repræsent. Maj. Imp. P. II. C. 10. §. 5. n. 49.*
p. 330.

§. XXIV.

Quod jamjam tempore MAXIMILIANI I. Sub Josepho. in Comitibus Wormatiæ ann. 1512. habitis optatum fuit, ut nempe nundinæ Mœno - Francofurtenses vernaes ex hebdomade illa, in qua supplicium de innocente Christo sumtum, recolitur, præcipuè in honorem & laudem Dei in aliud tempus commodius transponerentur; id tandem imperante JOSEPHO Gloriosissimæ memoriæ accidit anno 1710. Hoc enim anno PERILLUSTRIS atque AMPLIS-

42. CAP. II. DE NUNDINIS MOENO
PLISSIMUS SENATUS MOENO - FRANCO-
FURTENSIS ubique manifestum fieri curavit,
quod impetrata jamjam ab Imperatore JOSEPHO
venia & concessione nundinæ vernaes, quæ hæc-
tenus die Dominica *Judica* dicta inceperint instante
anno 1711. dominica prima post festum Paschatos
Quasimodogeniti dicta demum incipi debeant (f)

(f) LUNIG l.c. p. 723.

§. XXV.

Sub Caro-
lo VI.

Verum hæc dispositio non diu duravit, merca-
tores enim, qui nundinas Mæno-Francofurtenses
vernaes, die *Quasimodogeniti* incipientes, frequen-
tabant, non poterant frequentare Lipsienses die Ju-
bilate incipientes; hinc PERILLUSTRIS atque
AMPLISSIMUS SENATUS MOENO-FRAN-
COFURTENSIS commercium promovendi stu-
dio ab Inviētissimo Imperatore nostro CAROLO
VI. inter magnos maximo privilegium anno 1726. im-
petravit ut in posterum liceret prædictas nundinas
Mæno-Francofurtenses die III. festi Paschatos incho-
are, quo mercatores & nundinas Mæno-Francofur-
tenses & Lipsienses frequentare possint. Diploma
hujus est tenoris:

Wir

Wir Carl der Sechste von Gottes Gnaden,
erwehltet Römischer Kayser, zu allen Zeiten
Mehrter des Reichs, König in Germanien
zu Castilien &c.

DEkennen öffentlich mit diesem Brief, und thun kund
allermächtiglich, welchergestalten weyland Unfers in
GOTT seeligst ruhenden HERRN Bruders und Vorfahrers
am Reich, Kayfers Josephi Majestät und Liebden, Glor-
würdigster Gedächtniß, Unserer Kayserlichen Wahl- und
des H. Reichs Stadt Franckfurt am Mayn im Jahr 1710.
auf ihre unterthänigste Bitte, und deren benachbarten
Churfürsten und Ständen gehorsamsten Vorspruch und
Ansuchen, in Ansehung verschiedener damahlen vorge-
brachten wichtigen Ursachen, zu Beförderung und Aufnah-
me deren Commerciën im Reich, durch einen offenen
Brief gnädigst verwilliget, und Er erlaubet, daß sie ge-
dachte Messe, vor dem Sonntag Judica auß der Kar-
Wochen, und Heiligen Zeit, GOTT dem Allmächtigen
zu Lob, und dem gemeinen Wesen zum besten auf den
ersten Sonntag nach Ostern Quasimodogeniti verlegen,
oder da nach vorgenommener solcher Verlegung, durch künfft-
ige Aenderung der Zeiten, wider alles Vermuthen, ei-
nige unversehene Verhinderung dabey sich hervor thun
solte, selbige Mess alsdenn auf die vorige Zeit wieder ver-
setzen könnte.

Nachdeme aber, von der Zeit an die Erfahrungheit
gegeben, daß diese beschehene Aenderung dem Handel
und Wandel im Reich hin und wieder, jedoch beschwerz

und hinderlich falle, und Uns von ebgedachter Stadt Franckfurt, unterthänigst weiter angezeigt worden, was massen nicht nur diejenige auswärtige fremden Kauf- und Handels-Leute, welche die dasige Oster und die darauf folgende Leipziger Jubilate Messe bauen und besuchen, sondern auch die gesamte Franckfurtische Kaufmanschaft inständigst ange suchet, die Oster-Messe auf den Oster Dienstag, aus nachfolgenden Ursachen zu verlegen: weilien sowohl die Handels-Leute, welche sonsten die Waaren in der Franckfurter Messe erstlich eingekauft und selbige nachmahlen nach Leipzig in dasiger Messe zum Verkauf geführet haben, als auch die einheimischen, so die Leipziger Messen, mit Verkauf ihrer, und Einkaufung anderer Waaren zu besuchen pflegen, sich dieser Gelegenheit nicht mehr bedienen können, sondern die erstern ihre Waaren von andern Plätzen beschreiben, und mit sehr empfindlichem Schaden geraden Wegs nach Leipzig gehen lassen, letztere aber, die Leipziger Messe zurück lassen müssen, angesehen diese acht Tage früher anfängt, als sich jene endiget, wodurch denn dieser dem gemeinen Wesen, und der Stadt Franckfurt selbstn höchst schädliche Nachtheil erwachse, daß viele tausend Centner Güter, wovon gedachter massen der Stadt-Zoll und Niederlage, nicht minder auch deren benachbarten Churfürsten, Fürsten und Ständen Zoll, Geleit und andere, vor Jahren wegen starker Anzahl der dahin handelnden Kauf-Leuten reichlich genossene Gebühren zurück bleibeten, und durch andere Strassen die nach Leipzig gewidmete Waaren gleich geraden Wegs dahin geführt werden müssen.

Neben

Neben dente auch die aus der Fremde auf die Messe reissende Handels-Leute der Heil. Ofter-Zeit mit behrtriger Undacht nicht abwarten, sondern dieselbe entweder mit beschwehlichen Reisen zubringen, oder mit grossen Unkosten, und sonderlich an bequemen Orten stille zu liegen gemüßiget werden, hauptsächlich aber denen weit entlegenen Handels-Leuten, welche beede, nemlich die Franckfurter und Leipziger Messen zugleich besuchen, sehr schwer ja ohnmöglich fallen, bey gegenwärtig betrübteten Handel und Wandel immer mehr und mehr darnieder stürzenden Zeiten ihre Waaren nur auf einzige acht Tage nach Franckfurt zu führen, selbige bey weniger als halb geendigter Messe (in massen solches die unumgängliche Nothwendigkeit erfordere, weilien die Leipziger Jubilate Messe, bereits acht Tage vor Ausgang der Franckfurter Messe ihren Anfang mache;) wieder einzupacken, mit fast doppelten Unkosten durch Eilfuhren fortzuschaffen, auch selbst mitten in denen Geschäften und Handlungen, da man von denen Leuten noch keine Bezahlung hat, oder wegen Kürze der Zeit nicht haben könne mit höchst nachtheiliger Eilfertigkeit fortzureissen, folglich manchen guten Handel dahinten zu lassen, und also tausenderley Ungemach, Schaden und Sorgen untermworfen zu seyn, bevorab, da es eine augenscheinliche Ohnmöglichkeit seye, bey so gestalteten Umständen doppelte Waaren Lager zu halten, und nach Frankfurt und Leipzig so zu reden zu gleicher Zeit abzuführen, zu geschweigen an beyden Orten besondere Leute mit so grossen Unkosten dazu zu bestellen, daß mancher Handels-Mann vor

seiner Reisse mehr mit schmerzlichem Schaden und Verlust, als Nutzen wieder nach Hauße kehren müsse, anderer unabweindlicher Ungelegenheiten und Hinternissen der Commercien und Wechsel, samt andern Fällen nicht zu gedenken; So ergebe sich hieraus die unumstößliche Folge, daß nach dem Exempel vieler anderer Handels-Leuten, auch noch mehrere die Frankfurter Messe gar zu verlassen nothgedrungen werden. Derentwegen denn Uns vorgedachte Stadt Frankfurt in Unterthänigkeit gebeten, Wir als Römischer Kayser gnädigst geruheten ihr zu erlauben, offermeldete Oster-Mess, zu Erhalt- und Beförderung des Commercii und gemeinen Wesens besten auf den ersten Dienstag oder Mittwochen nach Ostern zurück zu setzen, allermassen sonsten zu besorgen es mögten viele Handels-Leute von Besuchung der Oster-Mess, dafern selbige bey jezigem Termin ins künftige verbleiben solte, führohin gänzlich abgehalten, und dadurch nicht allein der Stadt Frankfurt, sondern auch denen benachbarten Churfürsten, Fürsten und Ständen, an denen Zöllen, Geleit, und anderer Gerechtigkeiten und Einkünften, ja dem Comercio insgemein in und ausser dem Reich kein geringer Schaden und Abgang zugefüget werden. Da nun nicht nur die benachbarte Churfürsten, Fürsten und Stände des Reichs, die von der Stadt Frankfurt vorgedachter massen gebetene Zurücklegung der Oster-Messe gern sehen, sondern Wir auch derentwegen, von des Königs in Pohlen und Churfürstens in Sachsen Liebden, zu desto bequemerer Bau- und Haltung der Leipziger Jubilate Messe angelegentlich ersuchet worden. So wollen Wir aus vorbemeldten

bemeldten Ursachen in die Verlegung der Frankfurter
 Oster-Mess zum Behuf und Aufhellung des gemeinen
 Commercii und Kaufmannschafft im Reich gnädigst wil-
 ligen, und gedachter Unsrer und des Heil. Reichs Stadt
 Frankfurt aus Kayserlicher Macht, Vollkommenheit
 krafft dieses offenen Briefs gnädigst erlauben, daß sie off-
 besagte Oster-Messe wie solche ihr von Unsern glorwürdig-
 sten Vorfahren am Reich, Röm. Kaysern und Königen
 verwilliget worden, nicht allein auf den ersten Dienstag
 nach Ostern zurück legen, sondern auch nach künftiger
 Beschaffenheit der Zeiten auf einen andern dem Gewerb und
 Handelschafft bequemern Tag, jedoch unter Unserm gnä-
 digsten Vorwissen wieder zu versetzen, und soches zu thun
 befugt seyn sollen. Wir gebieten daher allen und jeden
 Churfürsten, Fürsten, geist- und weltlichen Prälaten,
 Grafen, Freyen, Herren, Rittern, Knechten, Landvög-
 ten, Hauptleuten, Bizedomben, Vbgten, Pflegern, Ver-
 wesern, Amtleuten, Land-Richtern, Schultheissen, Bur-
 germeistern, Richtern, Råthen, Burgern, Gemeinden,
 und sonst allen andern Unseris und des Reichs Untertha-
 nen und Getreuen, in was Würden, Stand oder We-
 sens die seynd, gnädigst, wie auch ernst- und vestiglich
 mit diesem Brief und wollen, daß sie vorgedachte Unsrer
 und des Heil. Reichs Stadt Frankfurt am Mayn, an
 obgebetener und von uns derselben vorstehender massen
 gnädigst erlaubter Zurücklegung der Oster-Mess nicht hin-
 fern, noch irren, sondern sie deren gerühlich, freyen ge-
 brauchen und genieffen lassen, hierrwieder auch nicht thun,
 noch das jemands andern zu thun gestatten, in keine Weise
 noch

noch Wege als lieb, einem jeden sey Unsere Kayserliche Ungnade und Strafe, und dazu eine Poen von 20. Mark löthiges Gold zu vermeiden, die ein jeder, so offerer hierwider thäte, Uns halb in Unsere Kayserliche Cammer, und den andern halben Theil oftgedachter Stadt Frankfurt, unnachlässig zu bezahlen versälen seyn solle. Mit Urkundt dieses Briefs, besiegelt mit Unserm Kayserlichen anhangenden Innsiegel, der geben ist, in Unserer Stadt Wien den vierdten Aprilis nach Christi unsers lieben Herren und Seeligmachers gnadenreichen Geburth im 1726sten, Unserer Reichens, des Römischen im funffzehenden, des Hispanischen im 23sten, des Hungarischen und Böhmischen auch im 15ten.

Carl.

Ut F. Carl G. von Schönborn.

Ad Mandatum Sacre Cæs. Maj. proprium

E. F. v. Glandorff.

§. XXVI.

Habes itaque L. B. quæ de nundinis Mœno-Francofurtensibus dicenda esse putavi, quæ ut æquo animo dijudices, obnixè rogo.



VNT 3824